



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Pastor Catholicus esse debet. Tit. 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

TITVLVS IIII. 7

dantia cordis os loquitur, Luc. 6. Videat ergo quisque quo Spiritu moueatur in locutione sua &c. Nec-
cessarium est etiam vt in omni lectione librorum pa-
stor respiciat ad sententiam & glossema catholicæ
Ecclesiæ. Nam vt dicit Petrus 2. Pet. 1. omnis prophe-
tica scriptura non est priuatæ interpretationis. Non
igitur quid Sectarius docet, sed quid Ecclesia catho-
lica approbat, quæ probat Spiritus an ex Deo sint &c.
1. Ioan. 4. audiendum & recipiendum est. Matt. 18. Qui
Ecclesiam non audierit, &c.

PASTOR CATHOLICVS

esse debet.

TITVLVS IIII.

HRI Stus Ioan. 10. inquit: Habeo a-
lias oues, id est, gentes, quæ non sunt
ex hoc ouili, id est, in congregatione Iu-
dæorum, oportet me & has adducere,
vt vnus sit grex, & vnus pastor: vnus de-
bet esse pastor super terram, sicut vnus est in cælo
Christus, qui nos pascit corpore & sanguine suo Mat-
thæi 26. Et hic in terris vnus est pastor Petrus, cui
Christus Ioan. 21. antequam imponit pastoris offi-
cium, eum examinat, ter quærens: Petre, amas me? &
cur primò quærit de charitate, nisi quòd consolidet
vnitatem? Vnus pastor prædicatur, quia vnitas com-
mendatur. Vult enim esse vnum pastorem & vnum
gregem, & hanc vocem audient oues Christi: qui au-
tem illam non audiunt, sed sibi iuxta sectas suas eli-
gunt pastores, illi non sunt de ouibus Christi, vt in-
quit August. serm. 165. Idèd rogat Apostolus 1. Co-
rinth. 1. per nomen Domini nostri IESV Christi, ne
sint in nobis schismata. Sic serm. 166. Pacem (inquit
Christus Ioan. 14.) meam do vobis, pacem meam re-
linquo vobis, ac si diceret, In pace vos dimisi, in pa-
ce, (id est, ynitate) vos inueniam. Proficiscens voluit
dare,

8 SVMMA DOCTR. CHRIST.

dare, quæ desiderabat rediens in omnibus inuenire, id est, cum redierit in morte vel iudicio extremo. Valdè igitur periculosum est, mori in schismate, id est, odio &cæ. Secundò, inquit Ieremias: Perdix fouet, id est, incubat ijs quæ non peperit, congregat diuitias, sed non cum iudicio, id est, iusto lucro. Sic Hæreticus locat se supra populū, quod ab initio non peperit, id est, catholicos rapit ab vnico ouili Christi, & congregat sibi diuitias, id est, vsurpat locū veri pastoris, sed non cum iudicio, id est, veritate, sed dolosis verbis se intrudit, venit non vocatus, idè in dimidio dierum suorum relinquet eas. Nulla enim secta perpetuò durat. Sic enim ordinat verus Pastor Ecclesiæ Christus, vt tandem liberentur electi, Matt. 24. Tertiò, in nouissimo suo confundetur, & erit insipiens. Ad Philip. 3. quorum Deus venter est, & gloria confusio, atq; interitus. Iubet igitur Christus tales lupos, id est, hæreticos cauere, qui non sunt pastores, neq; mercenarij, in doctrina etiam catholica, sed lupi & dissipatores lacerant ouile, mactant oues & dispergunt gregem, Ioan. 10.

Tertiò, August. ser. 165. Christus pacem pro vltimo dono hic in terris, tanquam hæreditatem, nobis dedit & reliquit, Ioan. 14. Et in hac singula donationis suæ præmia, quæ pollicitus est, in pacis conuersatione promisit. Ideò Matthæi 5. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Negat ergo Deum sibi esse patrem, qui pacificus esse contemnit. Omnibus igitur viribus pax est custodienda: Primò, quia semper in Domino manet, qui in pace sancta manet. 1. Ioanis 4. Deus charitas est. Secundò, cum omnibus sanctis societatem habet, qui in pace manet, id est, vnitate Ecclesiæ. 1. Corinth. 10. Vnus panis & vnum corpus multi sumus. Tertiò, Sacerdotis est, in pace & vnitate populū admonere, quid agere debeat: populi est in humilitate audire, quæ admonet sacerdos

Catho-

TITVLVS V.

Catholicus, Catholicus inquam, non sectarius: illū enim iubet scriptura deuitare, ad Tit. 3. Hæreticum hominem &c. Summa, in vnitare & pace esse debent Sacerdotes & plebs: alioqui non suscipitur à DEO Sacerdotis oratio, neque plebis oblatio. Christus inquit Matthæi quinto. Si offers munus tuum &cæt. vade reconciliari, &c.

PASTORIS CATHOLICI PER-
secutio pro martyrio computatur.

TITVLVS V.



Rimò, Martyr coram Domino est qui-
cunque amore Dei propter actum ve-
ritatis moritur. Nam inquit Christus
Mat. 5. Beati qui persecutionem patien-
tur propter iustitiam. Est autem omnis
virtus, iustitia, id est, castitas, charitas, patientia, obe-
dientia, fides, temperantia, modestia, constantia, ti-
mor Dei, &c. Galat. 5. fructus Spiritus, & Esai. 7. Do-
num fortitudinis, consilij, sapientiæ, &c. Hinc est, qd
Ecclesia multos tanquam martyres veneratur, qui
non pro confessione fidei, sed alterius virtutis actū
mortem susceperunt. Sic Ioannes Baptista propter
adulterij repræhensionem gladio occubuit, Marci &
Sic Laurentius, quia pauperibus commissum thesau-
rum distribuit. Sic Matthæus Apostolus & Euange-
lista, quia virginitatis vorum matrimonio prætulit,
& Ephigeniam Deo sacratam virginem, ab Hyrtaci
regis copula prohibuit, iussu eiusdem Tyranni ferro
interemptus est. Sic Hermigildus, quia Eucharistiam
ab Arriano Episcopo accipere noluit, iussu patris in-
teremptus est. sic Thomas Cantuariensis pro liberta-
te Ecclesiæ occiditur. Sic etiam pastor Catholicus, si
pro Catholica doctrina occiditur, pro martyre cõpu-
tatur. Est enim obedientia Ecclesiæ catholicæ, magna
virtus & iustitia: Ergo si quid pastor & oues patiuntur
pro con.